



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

BZQ

F897

FRIEDERICH, Carl.

De Iride dea veterum artificum  
monumentis illustrata.

**Library**  
of the  
**University of Wisconsin**

**DE IRIDE DEA**  
**VETERUM ARTIFICUM MONUMENTIS**  
**ILLUSTRATA.**

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**  
**QUAM AD**  
**SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES**  
**AB**  
**AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE**  
**GOTTINGENSI IMPETRANDOS**

**SCRIPSIT**  
**CAROL. FRIEDERICH**  
**GOTTINGENSIS.**

---

**GOTTINGAE**  
**TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA HUTHIANA**  
**MDCCLXXXII.**

**Tag der mündlichen Prüfung: 21. December 1891.**

**Referent: Herr Professor Wieseler.**

112449

NOV 20 1907

BZQ

F897

Quamquam de Iridis deae picturis vasa exornantibus H. Bergstedt scripsit<sup>1)</sup> atque Maxim. Mayer de hujus deae natura, nomine, monumentis disseruit<sup>2)</sup>, tamen operae pretium sit quaestionem renovare cum natura Iridis accuratius perlustrata et constituta quod attinet ad hujus deae monumenta de quibus haud raro fieri non posse ut certa inveniantur uterque vir doctus l.l. confitetur, aliquid proficere posse mihi videar.

Quaestionem autem ducam a libris poetarum. Neque enim dubitari potest quin poetae antiquissimi maximeque Homerus Graecorum finxerint deos, ita ut etiam simulacrorum artifices via ab illis demonstrata haud facile deflectere possent, neque negari potest, semper fuisse connexos quodammodo apud veteres verborum artifices vel poetas et sculptores pictoresque. Atque jure: nam primum utrique commune est propositum arti pulchrum id ipsum, deinde autem ex re ipsa elucet, quanto-pere unus quisque artifex qui corpora fingendo aut pingendo imitari studet, indigeat verborum ubicunque personas facere sibi proposuit, quae speciem prae se ferunt permultis ignotam vel non facile intelligendam. Non attinere mihi videtur ad quaestionem nostram accuratius de hac re agere: satis sit exempli loco afferre Phidiae Jovem Olympicum, quo notam illam Homeri descriptionem Jovis reddere studuit, Theonis Samii picturas quibus continua serie poetarum fabulas illustrare suscepit, cujus studii magis magisque divulgati tempus nobis servavit exemplar haud spernendum tabulas Iliacas, vasorum picturas, alia multa et pictorum et sculptorum opera.

Quibus ex dictis id tantum efficiam, ut minime alienum esse videatur in agendo de persona quadam a veterum arti-

<sup>1</sup> *Studia archaeologica com. acad. Upsalae* 1881.  
*lex. mythol. sub tit. Iris.*

<sup>2</sup> cf. Roscheri

ficibus ficta priorem quaestionem movere quomodo effinxerint illam poetae antiqui.

Tractemus igitur hoc modo nostram rem. Neque vero omnes poetarum et scriptorum locos afferam, quibus Iris producitur, quod de ea re exstat C. Arnoldi commentatio<sup>1)</sup>; illos tantum percensebo, ex quibus eluceat qualem speciem ac naturam poetae scriptoresque Iridi dederint.

Ortum Iridis nobis tradunt Hesiodus et Apollodorus, quorum alter in Theog. v. 266, alter in Bibl. I, 2, 6 eam Thaumantis et Electrae filiam, celerum Harpyiarum sororem esse dicit, quibus similis a poetis alata nominatur. Sic Homerus in Il. I. VIII, v. 398 dicit

*Ἴριν δ' ὠτρυνε χρυσόπτρον ἀγγελεύσαν,*

quocum versu comparandi sunt nonnulli loci Vergili, qui in Aeneidis l. IV, v. 700 hoc modo loquitur

Ergo Iris croceis per caelum roscida pinnis,

Mille trahens varios adverso sole colores

Devolat et supra caput adstitit —

idemque in l. V, 657 et l. IX, 14

paribus se sustulit alis

Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.

Notandum autem est, Vergilium his versibus Irim arcte conjungere cum arcu caelesti, quocum consentiunt alii quoque poetae scriptoresque posteriores, qui eadem cogitatione ducti Irida deam caeli nubes augentem vel pluviam nominant. Sic Ovidius in met. l. I, 271 scribit

Concipit Iris aquas alimentaue nubibus affert.

Quibus poetarum Romanorum locis Irida revera esse deam pluviam arcteque conjunctam cum arcu caelesti manifestum est; quaeritur nunc unde orta sit haec deae species vel ut priorem quaestionem accurate proponam, num Homerus jam ceterique Graecorum artifices talem cognoverint deam.

Qua in re dijudicanda tenendum est Homerum nullo loco in describenda Iride usum esse verbis quibus demonstrari possit poetam Irida deam conjungere voluisse cum arcu caelesti. Nam ex versu illo l. VIII, 398, ubi invenitur epitheton χρυσόπτρος nihil effici posse quivis intelliget, qui non opinione praepjudicata ad locum accesserit. Praeterea autem talia tantum

<sup>1)</sup> Progr. des Gymnas. z. Nordhausen, 1884.

apposita deae dantur in Iliade (in Odyssea omnino non invenitur), quibus illa volucris deorum nuntia significetur: sic *Ἴρις* appellatur *ποδῆγμος ὤκεια* II, 786, *ἀελλόπος* VIII, 409, *ταχῆϊα* XV, 158.

Contra *Ἴρις* i. e. arcus caelestis et ipse invenitur in Iliade aperte secretus ab Iride dea, cum l. XVII, 548 vocetur *τέρας ἡ πολέμοιο ἡ καὶ χειμῶνος δυσθάλλεος*.

Quae cum ita sint ex toto assentior eis quae E. Maassius, Indogerm. Forsch. von Burgmann u. Streitberg 1891, p. 160 ff. de hac re disseruit. Ponit enim nomen *Ἴρις* ducendum esse a radice *fi* quae insit in verbo *ἵεσθαι*-eilen. Cum igitur nomen *Ἴρις* arcus caelestis cohaereat cum verbo *εἶρεν*-serere, dea Iris causa grammatica omnino sejungenda est ab ostento caelesti.

Atque vere rem ita se habere et apud Homerum et apud ceteros artifices Graecos docebimur quaestione ad res ipsas traducta.

Nam tres tantum locos praecipue afferre solent ei qui Irim deam aeriam jam in Homero connexam esse volunt cum arcu caelesti<sup>1)</sup>.

Primus inest in Homero ipso, cum Iris in l. XXIII, 198 ss. injussu deorum Boreae et Zephyro Achillis preces perfert. Qua ex re viri docti idem collegerunt quod scriptor schol. B hunc ad locum adscripti, cum scriberet *ἡ Ἴρις φανείσα πολλάκις ἀνέμου κίνησιν δηλοῖ*, et Tzetzes, cum in allegoria hujus loci<sup>2)</sup> hoc modo de dea nostra loqueretur

*Ἴρις δ' ἐκ πελάγους ἄνεμον φέρει ἢ μέγαν ὄμβρον.*

De sententia horum scriptorum posteriorum infra dicetur, nunc id tantum exponam, in loco ipso nihil inesse quo Iris dea aëria demonstretur.

Perfert Iris Achillis preces Boreae et Zephyro, ab illis magna laetitia excipitur, sed nulla mora se ad Oceanum, ad Aethiopum epulas reversuram esse dicit. Nihil effici potest ex his dictis ad Iridis deae aëriae naturam: Achillis preces ventis perferendae sunt, itaque nuntia Jovis, qui favet Achilli, favet illi; postea redit ad epulas Aethiopum quo ceteri di conveniunt. Quam rem neque miram neque Iridis natura aëria esse expediendam appet.

<sup>1)</sup> cf. Maxim. Mayer in Roscheri lex. p. 323. <sup>2)</sup> Matranga, Anecd. graec. I, p. 210.



Quo cum loco alter quodammodo cohaeret. Exstat enim Alcaei fragmentum <sup>1)</sup>, in quo poeta Irim Zephyro nuptam esse dicit. Qua ex re cum Max. Mayer l. l. effecerit, Alcaeum Irim deam aeriam producere voluisse, dubito, num recte collogerit. Mea quidem sententia Alcaeus poeta posterior hoc loco ex Homeri dape uberrima aliquid libavit atque ex illa laetissima Iridis consalutatione quam invenimus l. s. l. effinxit Zephyri Iridisque connubium.

Hi tantum loci graviores prae se ferunt speciem, tertius qui restat minoris est momenti. Pausanias enim in l. III, 19 tradit, in Bathyclis Magnesii ara Amyclaea Irida connexam esse maritimis dis Neptuno et Amphitritae. Quam rem ad totam Iridis Graecae naturam a nobis nunc constitutam levem esse quivis concedet qui respexerit Pausaniam sententiis sui saeculi facile duci potuisse ut Irida deam pluviam cum dis maritimis in illa ara conjunctam esse poneret. Pausaniae enim temporibus Irim pluviam vel aeriam deam jam diu factam esse ex Vergili Ovidique versibus sequitur. Quo tempore facta sit, conjectura tantum colligi potest. Ponendum enim est Iridis nomen quod congrueret cum nomine arcus caelestis causam fuisse cur Euhemeri ratio opinioque, Stoicorum allegoriae, quae omnium deorum proprietatem principalemque naturam perderunt, Irida deam cum arcu caelesti jungerent.

Hoc utique constat Iridis naturam in posterum tempus eandem fuisse numinis pluvii vel aerii. Quod quae interpres ille Homeri antiquus et Tzetzes de Iride senserint aequae demonstrant atque Olympiodorus, qui ad Aristot. Meteor. p. 132 ed. Idel. <sup>2)</sup> annotavit Irida a poetis *ἑτερόμαντιν* dici, et Aetius <sup>3)</sup>, qui tradit de placitis philos. III, 5, 2

*διὸ καὶ ἐμυθεύσαντό τινες, αὐτὴν (sc. Irida) ταύρου κεφαλὴν ἔχουσαν ἀναρροφεῖν τοὺς ποταμούς.* Quibus verbis idem videtur exprimi quod Papinius Statius in Theb. l. IX, 405 ss. exponit

At pater arcano residens Ismenos in antro,

Unde aurae nubesque bibunt atque imbrifer arcus

Pascitur.

Sed haec hactenus; quae protuli satis mihi videntur esse ad illustrandum, Irida, quam invenimus apud Homerum ejusque

<sup>1)</sup> cf. Bergk, Fr. 13, B, 4. Aufl. Rosch, Lex. p. 323. <sup>2)</sup> cf. Meineke, Anal. Alex. p. 106. <sup>3)</sup> Pseudo-Plut. cf. Diels, Doxogr. Gr. 371 ss.

sectatores, sejungendam esse a dea pluvia posterioris temporis quae in Vergili, Ovidi, aliorum scriptis nobis occurrit.

Itaque nunc ad nostram ipsam quaestionem veniamus, qua forma et natura dea nostra ficta sit a veterum artificibus. Rem autem ita dividam, ut primum agam de Iridis picturis, deinde sententiam proferam de operibus quibus Irim veteres artifices corporea tractanda materia fingere studuerunt; quae ad artem criticam spectant, suo quaeque loco praemittam, cum non eadem lege variae artis monumenta dijudicanda sint.

Imagines Iridis minime dubias praebent nobis, ut a certis ad fontes minus certos progrediamur, picturae quae insunt in Iliad. cod. Mediol. et in Vergili cod. Vatic. 3225 <sup>1)</sup>. Videmus enim in Iliad. cod. Mediol., tab. XXIX <sup>2)</sup> illam rem depictam, quam Homerus in libro VIII, v. 350—430 nobis describit. Juppiter Irida demittit de Olympo, ut Junonem et Minervam quae Graecos laborantes adjutum in pugnam profectae sunt, incepto abstinere jubeat. Itaque in inferiore picturae parte videmus Graecorum et Trojanorum proelium, in parte superiore eminentes e nubibus deas Junonem Minervamque, ad quas propius accedit Iris ut Jovis mandatum perficiat. Sicut Homerus illam in versu 398 quem supra attuli, descripsit, pictor quoque magnis Irida instruxit alis.

Altera invenitur effigies Iridis in Vergili cod. Vatic. tab. LXI <sup>3)</sup>. Pictor depinxit Junonis nuntiam Rutulorum principem Turnum alloquentem, quam rem Vergilius in Aen. l. IX, 1—4 nobis narrat. Devolat dea in solum, bene exornata, magnis praedita pinnis, induta veste talari. „Laudabili tropo pictor arcum Iridis ex ejusdem peplo composuit“ (A. Mai). Quam Angeli Mai notam recte se habere persuasum mihi habeo, quod ut supra jam probavi Vergilius illis poetis adnumerandus est qui Irim deam cum arcu caelesti quodammodo conjunxerunt, itaque ex ipso Vergilio in denotanda Iride pictor potuit haurire.

Quae Iridis imagines quamquam posterioris temporis sunt monumenta <sup>4)</sup>, tamen haud contemnendae mihi esse videntur, quod

<sup>1)</sup> ed. A. Mai, Romae 1835, et Agincourt, Histoire de l'art, T. V.

<sup>2)</sup> cf. Stephani, Nimbus und Strahlenkranz, p. 63. <sup>3)</sup> cf. Stephani, Nimbus und Strahlenkranz, p. 63; Bartoli, Pict. Virg. tab. 6. <sup>4)</sup> sed admonendum est codicem Vergilianum seu schedas Vaticanas alteri p.

dubitari non potest, quin accurate nobis significant, quomodo figura nostrae deae illis pictoribus a prioribus tradita sit.

Veniamus nunc ad ipsas Iridis picturas, quae prioribus perfectae temporibus nobis servatae sunt. Quarum distinguenda sunt duo genera: alterum earum quae parietes exornantes aut in aedibus aut in hypogaeis inventae sunt, alterum picturarum, quibus veteres exornaverunt vasa figlina. Magnum autem interest inter haec duo genera quod attinet ad ea quae pictores ipsi picturis efficere sibi proposuerunt. Nam alteri nihil aliud agebant nisi ut in picturis, quibus cubacula exornabant, fabularum personas quam pulcherrimas pulchritudinis causa fingerent, vasorum autem pictores primis quidem quibus haec ars exercebatur saeculis fabulas ipsas reddere studebant. Qua ex re quid ad nostram rem sequatur, manifestum est: in Iridis picturis quae nobis servatae sunt in Pompejorum aedibus, Thaumantias facile recognosci potest, cum virgo alata venusta forma in rebus ex fabulis notis depicta sit. Neque mirandum est, quod saepius nobis occurrit haec dea in illis picturis, cum summi artifices Irida virginem arte sua celebrasse videantur. Agit universe de Iridis imaginibus Porphyrius, qui in libro III, 16 de abstinentia haec tradit: *τὰς δὲ μούσας ἐπitéρωσαν καὶ τὰς σειρήνας, κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ τὴν τε Νίκην καὶ τὴν Ἴριν καὶ τὸν Ἑρωτα καὶ τὸν Ἑρμῆν* — et proprie de Aristidis quadam pictura quamvis imperfecta clarissima Plinius, qui in Nat. Hist. l. XXXV, 145 hoc modo verba facit: „illud vero perquam rarum ac memoria dignum, etiam suprema opera artificum imperfectasque tabulas sicut Irin Aristidis — in maiore admiratione esse quam perfecta“. Invenitur autem Iris primum in pictura quae est in atrio aedis Pompejanae quam nominare solemus casa del poeta tragico, qua de imagine egit Helbig, Annal. d. Inst. 1864, p. 276 et Wandgemälde, n. 114<sup>1)</sup>). Magnis exornata alis et veste talari comes est Junonis, quae secundum Homeri notam fabulam Jovem adit in monte Ida. Talis enim interpretatio quam Helbig l. l. proposuit, multo magis idonea mihi esse videtur quam Gelli propositum, qui Thetim et Peleum hac in tabula pictos esse vult. Dea nostra hoc loco munere fungitur Iridis *γαμοστόλου*, sicut Theocritus eam producit in idyll. XVII, 133

Ch. n. saeculo a nonnullis viris doctis esse tributum — cf. Teuffel, Röm. Litgesch.<sup>4</sup> p. 473. <sup>1)</sup> cf. Gell, Pompejana, pl. 41.

ἐν δὲ λέχος στόρνουσιν λαύειν Ζηνὶ καὶ Ἑρῇ  
 χεῖρας φοιβήσασα μέροισ ἐπιτάροθρος<sup>1)</sup> Ἴρις<sup>1)</sup>

Altera Iridis imago inest in ejusdem Gelli Pompejanis, pl. 73; egerunt praeterea de hac imagine Helbig, Wandgemälde, n. 1390 et Stephani, Nimbus und Strahlenkranz, p. 67, Comptendu 1859, p. 76. 1861, p. 22. Videmus illic Irida comitem Thetidis, quae Achillem parvulum mergit in Styga. Quam Gelli interpretationem summam puto prae se ferre probabilitatem neque assentiri possum eis quae Helbig et Stephani l. l. de hac imagine protulerunt, quorum alter Dionysum, alter Adonin a nymphis curatum hac in picturā depictum esse censet. Nam primum nihil inest ipsa in pictura, quod proprium referendum sit ad Dionysum aut Adonin; deinde autem nemo negabit fabulam de Achille in Styga merso notiores fuisse atque ut ita dicam publice magis receptam, quam ob rem aptior fuit quae pingendo illustraretur. Dea quae saxo innixa ea quae geruntur attente contuetur eandem fere quam supra descripsi speciem praebet; id tantum addendum est, caput ejus radiatum depinxisse artificem, quam rem cum saepissime inveniatur insigne deorum caput radiatum<sup>2)</sup>, cavendum est ne referamus ad ullum connexum quem pictor inter Irim et arcum caelestem significare voluerit.

Praeterea afferenda est ex iisdem picturis Pompejanis imago, qua Panofka in Bull. d. Inst. 1847, p. 131 Irida depictam esse vult. Virgo est alata quae frondem in manu tenens una cum aliis deabus depicta est. Quam virginem Irim esse Ponofka ea de causa censet, quod dea conjuncta sit aliis illis numinibus quae maritima esse recte mihi ponere videtur. Neque vero haec pictura tam certe Iridi ascribenda est quam

<sup>1)</sup> Hac Wieseleri conjectura — codices dant verba *ἐπιτάροθρος* — qua ut hoc loco uteretur vir ille doctissimus benigne mihi concessit, hujus loci nodus optime expediri mihi videtur. Praeterea mederi studuerunt huic difficultati duobus modis viri docti: Meineke et Roscher (cf. Fleckeis, Jahrb. Bd. 111, 1875, p. 605 ss.) scribunt *ἐνπάρθορος*, quam mutationem quamvis levem probare non possum, quod Theocritum ut doctum poetam Alexandrinum fabulae de Iride nupta haud fuisse ignarum censeo; Max. Mayer (Rosch. lex. p. 323) verba ipsa *ἐπιτάροθρος* explanare conatur, cum poetam his verbis Alcaei illud poema significare voluisse dicit, cui non assentiar sententiae quod verba *ἐπιτάροθρος* ad Alcaei carmen relata obscuriora sunt quam quae intellegantur. <sup>2)</sup> cf. Stephani, Nimbus p. 93.

ceterae quas attuli, cum certa res non exponatur atque multae sint personae quibus ut alatis pictor uti potuerit in tali pictura conficienda.

Ut finem faciam hujus generis picturis enumerandis, imaginem describam quae cum arte Etrusca confecta sit longe aliam prae se fert speciem. Egit de ea in conditorio Etrusco invento Noel de Vergers in Bull. d. Inst. 1857, 120. Quae pinxit artifex, ex fabulis homericis desumpsit sed ita ut mirifica ratione opiniones Etruscas cum illa descriptione conjungeret quam Homerus facit in Il. l. XXIII, v. 170—180 de Trojanorum adolescentibus ab Achille manibus Patrocli immolandis. Media in pictura artifex posuit Achillem, qui in eo est ut unum Trojanorum qui vineti adferuntur gladio perfodiat. Ab altera parte Achillis Charon stat adscripto nomine, quo pictor captivos morti destinatos significare vult, ab altera parte dea alata quae nomine partim quidem deleto Iris denotatur. Quales partes dea nostra hac in pictura agat, quamvis Noel de Vergers l. l. aliter atque ego de hac re sentiat, dubium esse non potest. Nam si ille vir doctus putat, Irim boni genii locum hac in pictura supplere, ego quidem neque video qua de causa bonus genius hoc loco omnino adsit neque credere possum, cum nullum aliud hujus modi exemplum noverim, Irida deam omnino functam esse tali munere. In interpretanda autem hac pictura similis locus quem invenimus in Vergili Aen. l. IV, 696—99<sup>1)</sup>, tanti momenti esse debet, ut etiam interpretationem ejus vincat qui Irim deam a pictore sola ea de causa insertam esse huic tabulae dicat, quod Homerus illo loco eam Achilli petenti ventos faciat advocantem. Nam eodem modo quo illo Vergili loco a Junone missa est dea, ut Didonis miserae ante diem morientis animam a corpore solvat, hac quoque in pictura adesse mihi videtur, ut easdem agat partes apud Trojanos et ipsos ante diem morientes.

Haec sunt prioris picturarum generis quae respicienda sint exempla; agamus nunc de altero genere quod earum est imaginum quibus vasa veterum videmus exornata. Sed prius-

<sup>1)</sup> Max. Meyer quidem in Rosch. lex. p. 332 negat ex illo quidquam effici posse de Iride dea inferos contingente, sed admonendum est jam O. Müllerum Aeginetic. p. 170 ex Aethenaei lib. XIV, 645<sup>b</sup> Irim et inferam Hecatam inter se cohaerere demonstrasse cf. Maass, Indog. Forsch. 1891, p. 163.

quam ad eas ipsas picturas procedamus, qua ratione atque via hujus generis monumenta tractanda esse videantur, nonnulla praemittamus. Saepius enim haud facile potest judicari, quas fabulas et quos deos artifices in vasis depingere voluerint, cum haud raro complures et dii et deae eandem vel simillimam speciem ac formam prae se ferant. Itaque nobis quoque quod ad nostram rem pertinet, nonnullae occurrunt in vasorum picturis deae quas saepius difficillime, nonnumquam nullo fere modo ab Iride discernere possumus. Ut omittamus deas raro depictas, quas ut ad hanc ipsam quaestionem minus valentes suo quamque loco tractabimus, verba faciamus nonnulla de ea dea, quae multo saepius quam Iris ipsa ab artificibus ficta nonnumquam eandem atque Thaumantias induit speciem. Haud raro enim Victoriam videmus magnis alis et caduceo instructam, quas res propria Iridis postulare debemus insignia, si omnino certis notis hanc deam significatam esse volumus, deorum ministræ nuntiaequae munere in vasis fungi. Quibus insignibus praedita Victoria nomine adscripto in pictura invenitur ita depicta ut viro qui victor e bello rediisse videtur poculum administret <sup>1)</sup>. Quod Victoriae munus ita interpretari possumus, ut pictorem hoc poculo praemium victoris denotare voluisse ponamus. Eadem interpretatione uti possumus in nonnullis aliis picturis explanandis. Eodem enim modo alis et caduceo praedita Victoria pincernae munus obit in pictura quae reddita est apud Luynes, Vases, pl. 26. Quamquam enim insignibus illis commoti O. Müller hanc deam Irida et Hirt, Bilderbuch I, p. 93, tab. XII, 2<sup>a</sup>) Heben dixerunt, tamen O. Jahn, Telephos und Troilus p. 79 recta sine dubio interpretatione Victoriam esse illam deam exposuit. Deinde Victoria eadem forma invenitur in imagine, qua deorum in Olympo concilium artifex depinxit. Dea alis et caduceo instructa idem Jovis pincernae munus suscepit <sup>2)</sup>. In alia pictura cujus idem propositum est, dea alata sed caduceo omisso Jovi poculum ministrat <sup>3)</sup>. Quibus ex picturis cum effiendum mihi esse videatur, Victoriae a veterum artificibus munus poculi deis ministrandi traditum esse, in omnibus monumentis, in quibus tale munus a dea alata

<sup>1)</sup> cf. Gerhard, A. V. II, 150.    <sup>2)</sup> quam picturam obiter commemorem a Müllero, Handbuch § 400, a, 6 falso in numero haberi gemmarum.    <sup>3)</sup> cf. Annal. d. Inst. 1861, p. 293. Mon. d. Inst. VI, tab. 58, 1.  
<sup>4)</sup> cf. Mon. d. Inst. VI, 58, 2.

suscipitur, nisi justa causa obstat, Victoriam deam ab artifice fictam esse contendere non dubitabo. Nam haec prima ratio praecipue in rebus archaeologicis esse debet, ut a rebus certis tantum considerate progrediamur ad res incertas; sin igitur quamvis personam in qualibet pictura certo notatam invenimus nomine, nisi forte leviter suspicandi pro accurate definiendi ratione uti volumus, simili occasione eadem persona eodem nomine significanda est.

Qua ratione usus Victoriam pincernae munus obire etiam in alia pictura dixerim, qua pictor ultimam raptus Proserpinae partem in conspectum dedit <sup>1)</sup>. Res quam artifex depinxit in Olympo agitur; est autem de Cereris gratia reconciliata: in dextra parte Juppiter sedet altera manu scipionem tenens, altera pateram libandi causa porrigens, Proserpina ante eum stat balaustio denotata, Ceres in curru alato collocata sinistra in manu nonnulla papavera habet quibus pictor sine dubio significare voluit, dehinc terram denuo fruges daturam esse, dextra sicut Juppiter pateram porrigit ad libandum. A sinistra autem Cereris parte femina depicta est magnis alis instructa et talari induta veste, quae dextra in manu hirneam tenens ab altera femina aditur ut in pateram infundat porrectam. Illam feminam simillimam quod ad munus pincernae attinet imaginibus supra jam tractatis, Victoriam depinxisse artificem persuasum mihi habeo. Hoc enim semper tenendum est, in veterum arte non solum inter variorum generum artifices quendam connexum fuisse, sed etiam ejusdem generis participes quod ad ejus proposita et rationes pertinet, magno vinculo inter sese fuisse conjunctos, cum aliter summa quae est interdum inter diversorum artificum opera, veluti vasorum picturas, consensio minime possit enucleari. Accedit autem quod vasorum pictores quos omnes eruditissimos ducere homines nil nos jubet, in rebus quibusdam excogitandis aut imitandis diversos deos vel deas eadem forma et insignibus praeditos invenerunt, ita ut fieri posset, ut ne artificii ipsi quidem liqueret, qualem deum vel deam depingeret vel imitando effingeret in pictura. Sic supra jam exposui quanta dubitatio esset de persona Iridis et Victoriae dearum iisdem insignibus instructarum. Atque iisdem notis, magnis alis et caduceo, praedita

<sup>1)</sup> cf. Ann. d. Inst. 1850, 111; tav. d'agg. G.

etiam alia dea in monumentis invenitur: talis fingitur in nummis Locrorum Epiz. Irene, quae res aliquid valere mihi videtur ad vasis picturam definiendam, de qua usque adhuc dubitatur.

Vas de quo agitur inest in collect. Monac. regis Ludovici, catal. Jahnii n. 291 <sup>1)</sup>. Depicta est femina alis et caduceo instructa, quae puerulum secum portat. Jahn, quem Max. Mayer sequitur, cf. Rosch. lex. p. 351, hanc feminam Irida appellat, puerulum Herculem, quamquam Welcker et Gerhard jam antea illam Irenen cum Pluto nominaverunt. Quorum virorum interpretationem sequar, quod Irenen modo vidimus saepius eadem forma inveniri neque habemus quod Irida eo modo quo hac in pictura conjungamus cum puerulo Hercule.

Sed pergamus in tractandis dubiis Victoriae picturis. Quam deam si consideraverimus quam arcte cohaereat cum bello, facile cognoscemus effectam nonnullis in picturis, quas nunc enumerabo. Prima inest in vase de quo actum est in Bull. d. Inst. 1852, p. 86. In inferiore imaginis parte Chrysippum videmus a Laio abductum, in superiore quattuor deos Mercurium, Minervam, Venerem aliamque deam alatum, nonnulla arma adportantem. Quae dea vulgo Iris nominata est, nulla justa causa allata; is qui circumspexerit quam bene tale munus Victoriae ut deae belli accommodatum sit, hanc esse depictam deam colligere non dubitabit. Atque idem de aliis tribus picturis dicendum erit quae omnes simillimam reddunt speciem. Quarum de prima egit Tischbein, Sammlung Hamilton I, 4; depicta est virgo alata, quae una cum caduceo cassidem in manibus tenens adulescentem armatum adloquitur. Censuit autem, Alcmaeonem esse adulescentem quem Iris a Junone missa commovere studeret, ut ducem se profiteretur expeditionis contra Thebas jam constitutae. Sed timeo ne nimis multa cognoverit vir doctus hac in pictura: ego quidem nihil aliud video nisi deam alatum quae adulescenti armato arma perfert, quod propositum sine dubio haud rarum fuerit vasorum pictoribus. Nam imagines simillimas conspiciamus in vasis Duridis et Brygi descriptis a P. J. Meiero <sup>2)</sup> et a Brunio <sup>3)</sup>, quorum valde dolendum est quod fragmenta tantum nobis ita tradita sunt, ut duobus in vasis totam picturam accu-

<sup>1)</sup> cf. Gerhard, Auserl. Vasb. 2, 88; Rosch. lex. s. t. Iris, fig. 8, Bull. d. Inst. 1829, p. 110. <sup>2)</sup> Arch. Ztg. 1883, T. 1, 2. <sup>3)</sup> K. G. II, 666 et Benndorf C. Taf. 7, 2<sup>b</sup>.



rate replere non possimus. Tamen utraque in pictura cognosci potest, deam alatam depictam esse quae in Brygi vase caduceo instructa est; eodem modo perspicui potest, alteram personam cum illa ab artifice esse conjunctam. In Duridis pictura illa persona adulescens armatus est, quem dea alata ut in pugnam eat adhortari videtur; quod ad Brygi vas attinet, nihil certi de hac persona dici potest. Meier l. l. deam in Duridis pictura Irida appellat comitem juvenis armati, Brunn deam in vase Brygi Victoriam aut Irenen esse dicit — ego quidem causis supra expositis nixus in omnibus his picturis, quarum propositum simillimum est, Victoriam video depictam, quae adulescenti armis vel promissis audaciam injicit pugnandi et spem vincendi.

Sed ut tandem ad ipsas Iridis picturas veniamus, incipiamus ab eis vasis ex quibus cum nomine denotata sit Iris itaque de ejus persona non facile possit dubitari, certissima efficere possumus de ejus forma et natura. Quantum igitur ad nostram pertinet rem, agamus primo de vase Clitiae et Ergotimi vetustissimo hujus generis. Pictor effinxit in plenioris vasis orbe Pelei et Thetidis nuptias quas ad celebrandas magno agmine dei ab Iride ducti appropinquant. Iris caduceum tenet, alis non est instructa, qua de re quamquam Trendelenburg, Arch. Ztg. 1880 in commentatione quam inscripsit „Iris im Parthenongiebel“, alas statu deae obtegi contendit, mea quidem sententia nulla potest esse dubitatio. Egit de hac amphora notissima quae Florentiae est pluribus verbis Klein<sup>2</sup>, p. 32; depicta est in Monum. d. Inst. IV, 54—55 et Arch. Ztg. 1850, T. 23—24.

Deinde agendum est de Olti et Euxithei vase, quod Vulcis inventum nunc in Museo Berol. conservatur<sup>1</sup>). Videmus in ea vasis parte, quam Klein lit. B. designavit, valedicentem Nestori Achillem armatum quem ad Patroclum ulciscendum in pugnam iturum esse altera vasis parte indicatur, ubi certamen de Patroclo necato pictor nobis aute oculos posuit. In quadriga Phoenix et Antilochus Peliden opperiantur. Prope autem stat dea magnis alis, caduceo, veste talari instructa, manu florem tenens, quam Irida esse nomine adscripto indicatur. Quaerentibus autem quales partes agat dea nostra hac in pictura,

<sup>1</sup>) cf. Furtwaengler, cat. n. 2264. Klein<sup>2</sup>, p. 135.

comitem respondendum est eam esse Achillis ultum euntis Patroclum, quo pictor sine dubio totam rem summi momenti esse vel decorum voluntate effectam significare voluit. Depictam tradunt imaginem Müller-Wieseler, D. a. K. I, Tab. XLIV, n. 207; Wiener Vorlgl. Ser. D, T. 2; Gerhard, Ges. Abh. T. XI, 4.

Tertiam imaginem Iridis nomine designatae videmus in Brygi vase Capuae invento, de quo egit Matz, Ann. d. Inst. 1872, p. 294 et Klein<sup>2</sup>, p. 183. In ea vasis parte quam Klein lit. A. denotavit, Iris depicta est magnis alis praedita. Dea quae in manu bacillum, quo Mercurius quoque utitur nuntius, tenet, duobus a satyris ithyphallicis petitur; alter illud bacillum Iridi auferre, alter qui in aram ascendit deam ipsam ad se attrahere studet. Bacchus deus post aram collocatus est pelle pantherina et pallio indutus, dextra in manu cantharum, laeva scipionem habet<sup>1</sup>). Cujus picturae propositum ab artifice ex fabula satyrica desumptum esse, primus O. Jahn, (Telephus und Troilus p. 79) suspicatus est, cum de simillima vasis pictura Nolae inventi<sup>2</sup>) sententiam proferret. Etiam in hac pictura femina alata duobus a satyris ithyphallicis petitur, quae eo tantum differt ab Iride superioris picturae quod extremam victimae caudam quam Aeschylus in Prometh. v. 495 singularem fuisse victimae partem testatur verbis ἀνὰ τὴν ὀσφύν πρυώσας<sup>3</sup>), manu tenet. Qua de femina alata diu in diversum tendebant sententiae, cum Gerhard Teleten cum copiae cornu, O. Müller Hosiam eam esse putaret. Jahn primus l. l., ut supra dixi, Irida fabulae satyricae hac in pictura depictam esse probavit Athenaeo usus teste, qui in libro X, p. 451 C. D. Achaeum poetam talem fabulam scripsisse tradit. Quod attinet ad fabulam satyricam, Jahnii conjectura probabilis mihi videtur esse, quod ad Irida, ea quae conjecit priore illa pictura ita confirmantur, ut nulla restet dubitatio. Tertium hujus generis vas, in quo eadem efficta est res, invenitur in collectione quam edidit Luynes, Vases, pl. 30<sup>4</sup>). Simile similibus annectam his imaginibus vas, de quo egit Max. Mayer l. l. p. 347<sup>5</sup>). Res

<sup>1</sup>) cf. Mon. d. Inst. IX, t. 46 et Wiener Vorlgl. VIII, t. 6.

<sup>2</sup>) cf. Furtwaengler, cat. n. 2591; Gerhard, Ant. Bildw. 48; Welcker, A. D. III, 16, 2. <sup>3</sup>) cf. Wieseler, Philol. X, p. 387 ss. <sup>4</sup>) cf. Max.

Mayer, l. l. p. 348. <sup>5</sup>) cf. Gött. Gel. D. 1888, p. 143; Journ. of hell. Stud. 1, pl. 3.

ita mutata est ut satyrorum loco depicti sint centauri qui et ipsi deam Irida petunt. Bene coniecit Mayer, etiam hujus picturae propositum eidem Achaeo poetae fortasse attribuendum esse, qui in Peirithoo similem atque in Iride fabulam satyricam scripsisse censendus esset.

Praeterea reliqua est alia vasis pictura in qua femina alata Iridis nomine designata est. Saepius de hac hydria, quae Lutetiae Par. in collectione Wittei est <sup>1)</sup>, sententiam protulerunt viri docti, cum nomen illud Iridis magnas dubitationes moveret. Facile enim fieri potuit, ut hac in pictura nomen deae Eridis quam inter duas quadrigas hostiles suo loco esse nemo negabit, in Iridis formam aut a pictore ipso aut postea corrumperetur. Sic primum rem explanavit l. l. Gerhard, sed postea sententia mutata tamen Irida esse hanc deam postulavit <sup>2)</sup>. Contra Wieseler mea quidem sententia recte deam illam Erim esse exposuit <sup>3)</sup>. Nam circumspiciendum est feminam illam alatam quae nullo nisi alis denotata est insigni, simillimam prae se ferre speciem qualem videmus in aliis Eridis nomine designatis picturis <sup>4)</sup> ita ut contra id nomen Iridis cui facillime mendum inferri potuit, nullius fere momenti esse videatur.

Quae cum ita sint, nihil valet C. F. Hermannii sententia, qui non solum hujus vasis deam Irida esse vult, sed etiam similem deam, quae nullo nomine addito in hydria collectionis Pizzati inter duos juvenes armatos depicta est, contra Roulezium, Witteum, Gerhardium Iridis pro Eridis nomine denotavit <sup>5)</sup>.

Habemus igitur in picturis modo tractatis tres Iridis imagines, quae nomine adscripto certissimae neque vero ejusdem ponderis sunt ad totam quaestionem. Nam tertia illa pictura, in qua cum fabulae satyricae quaedam pars depicta sit, Iris dea caduceo caret, propter hanc ipsam proprietatem nihil nos de generali deae natura ac forma docere potest. Itaque ad priores duas picturas recurramus: quas si quis perspexerit, communem quodammodo deae et naturam et formam nobis tradere intelliget. Ambabus enim in picturis, sicut jam supra

<sup>1)</sup> cf. Cab. Durand, n. 14: Gerhard, Auserl. Vas. I, 20. 21. <sup>2)</sup> cf. Ges. Abh. T. X, 6. <sup>3)</sup> Nachr. d. Gött. Ges. 1885, II, p. 95, A. 1.

<sup>4)</sup> cf. Gerhard, Ges. Abh. T. X. <sup>5)</sup> cf. Gött. Gel. Anz. 1845, p. 269 ff.

in poetarum libris cursim tractatis vidimus, deorum est ad-  
ministra aut comes aut nuntia, caduceo ut hujus muneris in-  
signi instructa; id quod in altera eam conspiciamus alis caren-  
tem, demonstrat pennas non ita proprias fuisse nostrae deae  
ut semper necessariae essent ad illam denotandam. Hac igitur  
usitata deae et natura et forma in definiendis picturis usus  
nunc ceteras Iridis imagines ita percensebo ut effigies cum hac  
imagine non congruentes ea tantum conditione Iridis esse com-  
probem, si justa causa inveniatur cur dea diversa aut forma  
aut insignibus depicta sit.

Ut deinceps transeamus a picturis simplicioris generis ad  
vasa majore arte exornata, eas primum enumerem vasorum  
imagines, in quibus unam videmus Iridis effigiem depictam.  
Praebent nobis vasa hujus generis imagines has:

Heydemann, cat. vas. Mus. Neapol. n. 3122; Iris  
tunica et pallio induta atque mitra armillisque exornata cursu  
incedens depicta est. Usitata forma alis et caduceo est instructa.

Annali 1831, p. 41, K. Mus. étr. 1120. Similis  
imago; Iris alis et caduceo instructa est.

Roulez, Vas. peints de Leide, pl. IV, 2a; Iris mitra  
et tunica induta atque caduceo instructa advolat ad virum,  
quem cum scipionem manu teneat Priamum esse secundum  
Hom. Il. l. XXIV v. 149 ss. aequum est colligere <sup>1)</sup>).

Millin, Peintures de vases I, pl. 62; Iris alata et  
tunica mitraque exornata manu caduceum gerens appropinquat  
ad virum barbatus qui nititur baculo nodoso. Hac quoque  
imagine Irim ad Priamum procedentem fictam esse recte con-  
jecit Roulez, Vas. peints de Leide, p. 16, Anm. 6.

Furtwaengler, cat. vas. Mus. Berol. n. 2163 B;  
Iris alata simili forma laeva in manu caduceum tenet atque  
dextram obtendit Iovi, qui in altera vasis parte depictus est.

Furtwaengler, cat. n. 2248 <sup>2)</sup>). Iris eandem fere spe-  
ciem praebens. Notandum est, deam et alis caduceoque et  
pinnulis, quibus ejus calceamenta instructa sunt, instructam  
accedere ad tumulum quendam, de cujus natura ita dissentiunt  
Furtwaengler et Benndorf, ut ille aram, hic sepulcrum depic-  
tum esse censeat. Similem speciem Iridis praebet lamina acnea

<sup>1)</sup> cf. Roulez, l. l. p. 16, Anm. 6.  
Vasb. XXVII, p. 44.

<sup>2)</sup> cf. Benndorf, Sicil.

collectionis Santangelo Neapol.; veste talari induta, instructa pinnulis in pedibus dea in manu caduceum tenens cursu incedit, cf. Roscheri lex. l. l. fig. 6, p. 350.

Jahn, cat. vas. Pinacoth. Monac. n. 127 A, Iris non alata eodem quem supra vidimus vestitu induta in dextra caduceum habet.

Jahn, cat. n. 351<sup>1)</sup>. Iris alata in dextra hirneam, in laeva caduceum tenens atque mitra, tunica, pallio exornata per aerem volat. Quae deae species quamquam non usitata est, tamen certe Iridis esse mihi videtur, cum aliae quoque sint picturae in quibus Iris eadem conspicitur caduceo et hirnea ornata. Sic invenitur Iris dea cursu incedens, veste talari, alis, caduceo, hirnea instructa in vase quod Athenis inventum nunc Lut. Paris. conservatur<sup>2)</sup>. Verisimillimum autem est, artifices tales ad imagines effingendas commotos esse Hesiodi notis illis versibus Theog. 784—85, in quibus Irida describit deis aquam Stygiam ferentem

*Θεῶν μέγαν ὄρκον ἐνεῖλαι*

*Τηλόθεν ἐν χρυσῇ προχόῳ πολυώνυμον ὕδωρ.*

Aliter de hac re existimat Max. Mayer, cum (l. l. p. 322) hos interpolatos versus factos esse dicit ad illustrandas quodammodo illas Iridis imagines jam pridem ab artificibus exco-gitatas ut dea pluviae. Cui conjecturae assentiri non possum. Neque enim unam eandemque speciem videmus hujus deae hirnea instructae, ex qua poeta posterioris temporis illorum versuum propositum potuit haurire, sed varie artifices versus ipsos arte sua illustrare studuerunt; sic in priore imagine s. l. deam vidimus volentem, in altera incedentem; in tertia, quam nunc tractabimus, res agitur apud inferos ipsos. Idem enim munus eam obeuntem cognoscimus in speculi Etrusci lineamentis ab eodem Gerhardo editi<sup>3)</sup>. Videmus in illo speculo feminam alatam, mitra, calceamentis, tunica talari exornatam, quae cursim cum hydria appropinquat ad fontem capite leonino indicatum. Hunc fontem Stygem esse atque totam rem geri apud inferos, serpente significatur quem humi reptantem effinxit artifex.

<sup>1)</sup> cf. Gerhard, Auserl. Vsb. 82.      <sup>2)</sup> cf. Gaz. arch. 1888, p. 204 et Rosch. lex. l. l. fig. 7, p. 350.      <sup>3)</sup> cf. Etrusk. Spiegel I, 41, 1 et Müller, Musée Thorwaldsen sect. II, p. 172.

Aliter res se habet in posterioris temporis monumentis, in quibus Irida videmus hirnea instructam. Eodem modo quo Vergilius, Ovidius alique scriptores Irida cum arcu caelesti conjunxerunt itaque deam pluviam vel aeriam reddiderunt, fictores quoque hirnea usi Iridis insigni hanc deae naturam notaverunt. Hirnea enim instructa invenitur Iris simul cum Aurora face denotata Solem antecedens in thorace Augusti qua de re pluribus egit verbis Raf. Garrucci, *Dissert. Archeol.* p. 1 s. L'Augusto di Villa Vejentana, tav. 1 <sup>1)</sup>.

Tamen cavendum est, ne omnes similes imagines in hujusmodi imaginum numero habeamus. Nonnullae enim nobis notae sunt, quas quamvis illis picturis similes tamen aliter interpretandas esse manifestum est. In primis afferendum est signum quoddam nummi Terinaei. Efficta est in hoc nummo, quem ex Eckheli *Doctr. Num.* I, 182 desumptum Gerhard, *Etrusk. Spiegel* I, 41, 2 descripsit, femina alata in saxo sedens quae altera manu caduceum tenet, altera vas in quod e capite leonino aqua fluit. Quae imago quamquam similem eam esse picturae supra explanatae nemo negabit, Iridis esse non videtur. Nonnullis enim aliis in nummis Terinaeis <sup>2)</sup> femina simillima forma invenitur, quae in duobus <sup>3)</sup> ipso nomine Victoria designatur. Itaque etiam in forma nummi modo tractati imaginem Victoriae fuisse insculptam consentaneum mihi videatur colligere.

Quo loco quoniam de nummis agitur, addam Malli in urbe Ciliciae nummos Iridis imagine signatos esse, quorum exstat exemplarin *Num. Chronicle* 1890, p. IV, p. 327, n. 29. Dea instructa est alis et in humeris et in pedibus atque retroversa manus extendit. Altera similis imago invenitur in gemma Etrusca ejus formae quam scarabaeos vocare solemus <sup>4)</sup>. Incisa est in lapide, quem depictum invenimus apud Gerhardum, *Etrusk. Spiegel* I, 41, 3, effigies deae alatae, quae tunica talari induta ante hydriam collocata est. Non est quod hanc deam Irida

<sup>1)</sup> cf. Welcker, *Griech. Götterl.* III, 43.

<sup>2)</sup> cf. Gerhard, *Ges. Abh.* T. XI, 5—7; Carelli-Cavedoni, *Vet. Italiae Numismata*, p. 177—79, Nummi Terinaei, n. 26. 27.

<sup>3)</sup> cf. Millingen, *Ancient coins* pl. II, 2; Poole, *cat. of the Greec coins in the Brit. Mus. Italy.* p. 385 ff. *Coins of Terina*, n. 6; Sambon, *Recherches sur les Monnaies de la Presqu'île Italie*, p. 360, n. 1 u. 2.

<sup>4)</sup> cf. *Catalogue of the coll. formed by B. Hertz*, London 1851, p. 7, n. 82.

aut Moeram, ut nominatur Arch. Ztg. 1851, p. 24, esse putemus, cum meliore interpretatione eam Victoriae munere fungentem quae tabellas colligat, hac in gemma effectam esse ab artifice ponere possimus.

Proximum est ut agamus de illis vasorum picturis in quibus pleniore ut ita dicam scaena Iris fungitur munere nuntiae deorum. Cujus generis has invenimus imagines:

Bullet. d. Instit. 1869, p. 125; agitur de lecytho Mus. Neapol., in quo depictum videmus quomodo Hector ad quadrigam alligatus ab Achille per planum trahatur. Achilles cursu quadrigam comitatur. Advolat dea alata tunica induta quae cum caduceo instructa sit atque dextram tollat tanquam locutura, sine dubio Iris Jovis nuntia appellanda est.

Jahn, cat. vas. Pinac. Mon. n. 407; pictura simillima eo tantum differt a priore imagine quod Iris ad Achillem prope quadrigam stantem appropinquat.

Annali d. Inst. 1859, p. 299; egit E. Petersen de hoc vase collectionis Campana in quo raptus malorum Hesperidum depictus est. In altera vasis parte Herculem videmus mala rapta Eurystheo tradentem, post Herculem adjutricem ejus Minervam. In altera parte conspicitur draco deceptus, quem arbori se circumvolventem Atlas et Hesperidum quaedam perterriti contuentur. Quibus Iris alata a sinistra parte cursim appropinquat caduceo instructa. Trendelenburg in commentatione „Iris im Parthenongiebel“ (Arch. Ztg. 1880) deam hoc loco depictam ita explanare studet, ut eam una cum Neptuno, quem et ipsum in pictura tridente denotatum invenimus, ut maris deos spectatores hujus rei esse dicat. Cui explanationi assentiri non possum, cum Iris minime speciem reddat spectatoris ut Neptunus sed nuntiae deorum, quae Junonis fortasse jussu cursu accedit, ut Herculis inceptum, quod ille Minerva adjutrice jam confecit, ad irritum redigat.

Gerhard, A. V. I, 46; depicta est hac in amphora Marpessa judicans, qua de re conferendum est quod Homerus tradit in Iliad. l. IX, v. 559. Idas lorica et hasta instructus est, Apollo nudus lauro distinctus arcum manu tenet. Marpessa velata ad Idam se vertit, quo pictor utrum illa electura sit significat, Iris tunica induta, caduceo atque pennis et in humeris et in pedibus praedita Apollinem alloquitur ad eum sine dubio commovendum ut hoc judicio acquiescat.

Müller-Wieseler, D. a. K. II, 69, n. 863<sup>1)</sup>; res in orco geritur, cum Ixionem videamus rotæ flagrantis radiis districtum, quam Erinys quædam in eo est ut verset. In sinistra picturæ parte Pluto in solio collocatus est, a dextra parte adest Iris alata et caduceo instructa ut videat, num Vulcanus, qui cum malleum manu teneat Ixionem vinxisse censendus est, bene constrinxerit nefarium in Junonem hominem.

Gerhard, Ant. Bildw. 117, 2. 3; Theseus depictus est Minotaurum perdomans. Iris a dextra parte appropinquat alis et caduceo significata, manu florem tenet. Neque vero omitendum est, picturam propter mira lineamenta magnam dubitationem movere, num revera sit antiqui artificis opusculum.

Praeterea duo alia hujus generis vasa respicienda sunt, in quibus quamquam alii Iridis imaginem effictam esse posuerunt, tamen aliam deam nobis ante oculos poni decernendum sit. Quorum prius conservatur Tergestes in collectione Fontana; editum est a Gerhardo A. V. II, 146—147. Depictum videmus in altera vasis parte Herculem a Minerva in Olympum induc-tum, in altera hanc rem duobus a deis divulgatam. A sinistra enim hujus picturæ parte Mercurius caduceo instructus Baccho quid acciderit nuntiat, a dextra parte dea veste talari induta, sed nullo denotata insigni ad Nereum appropinquat in solio collocatum. Quam deam Gerhard l. l. ut deorum nuntiam accommodatissimam ad Mercurium Irim appellavit. Sed respiciendum est, hanc deam omnibus aliis hoc in vase deis certa nota designatis unam nullo insigni esse significatam neque id quod una cum Mercurio, quocum saepius Irida conjunctam inveniri infra videbimus, hoc loco nuntiandi munere fungatur, tanti ponderis esse posse, ut hac in pictura Irida dissimillimam formæ illi, quam supra usitatam constituimus, depictam esse ponamus. Itaque, sicut Trendelenburg l. l. (Arch. Ztg. 1880) proposuit, hanc deam Nereida pictorem pingere voluisse sumamus.

Altera pictura hujus generis in vase est, quod conservatur in Mus. Reg. Neapol.: descripta est apud Müller-Wieseler D. a. K. II, 38, n. 442. Depinxit artifex Lycurgum, qui propter peccata in Bacchum commissa in furore est. Contra

<sup>1)</sup> cf. Stephani, Vas. d. Kais. Ermit. n. 424; Gerhard, *Mysterienbilder*, Tf. 4; Wiener Vglbl. S. E, T. V, 2.



regem qui in uxorem liberosque bipenni saevit, devolat a dextra parte femina alata, capite orbe flammeo circumdato, manibus facem hastamque gerens cujus acumen in Lycurgi caput vertit. Hanc deam Millingen <sup>1)</sup> Irim esse voluit. Quam interpretationem jure Roulez <sup>2)</sup> refutavit. Neque enim dubium esse potest, quin haec femina alata face et hasta instructa ea sit deorum ministra quae Lycurgo furorem injiciat. Itaque eam Erinyibus adnumerandam esse summo jure Wieseler l. l. exposuit. Quam si certo nomine appellare volumus, optime Lyssam vocare licet, quae in poetarum quoque fabulis certa est persona <sup>3)</sup>. Pictura simillima, in qua eadem Lyssae effigies depicta est, invenitur in Mus. Brit. cat. n. 1434 <sup>4)</sup>.

Sequitur ut nos vertamus ad eas picturas in quibus Iris comitis aut hominum aut deorum obit munus. Quarum in nonnullis cum eam propriam Junonis videamus administram, putare non possumus forte accidisse ut hoc in vasis maxime posterioris temporis et rationis cognoscamus, praesertim quod etiam a Callimacho in hym. in Del. v. 228 Junonis ministra peculiaris profertur. Talia nobis occurrent nonnulla vasorum exempla artis Campanae, quae recte mihi Arndt, Studien zur Vasenkunde p. 99—100 saeculo tertio a. Ch. n. attribuisse videtur. Neque minus praemittendum est, praecipue hujus generis in vasis quae multitudine personarum et magna forma insignia sunt, Irida cum Mercurio conjunctam inveniri non ita necessariam in rebus illic descriptis, sed ut altera deorum nuntia vel comes ornatu magnifico praedita ipsa picturae ornatui sit. Incipiamus igitur a paucis illis vasis, in quibus deam apud homines videmus munere comitis fungentem. Quorum vasorum in numerum referendae sunt picturae hae:

Annali d. Inst. 1836, p. 112, Mon. d. Inst. II, 30—32; Iris alis et caduceo instructa comes et dux est triumpho, quo Theseus et Antiope sedata discordia ad nuptias celebrandas ire student.

Catal. vas. Mus. Brit. n. 834; de hac Pamphaei patera variae prolatae sunt sententiae. Artifex depinxit duos deos

<sup>1)</sup> cf. Vases grecs pl. 1, 2.

<sup>2)</sup> cf. Annali d. Inst. 1845, p. 121.

<sup>3)</sup> cf. Euripidis Hercul. fur.

<sup>4)</sup> cf. Mon. d. Inst. V, 23. De tota quaestione conferri potest Koertei liber qui inscriptus est: Ueber Personificationen psychologischer Affecte in der späteren Vasenmalerei, p. 23—24).

alatos armatosque, qui in eo sunt ut mortuum humo tollant. In dextra et sinistra parte duae feminae collocatae sunt quae id quod agitur summo studio prosequuntur. Altera in sinistra picturae parte caduceo instructa est. Quam picturam Brunn<sup>1)</sup> ita interpretatur ut mortuum Memnonem esse dicat, viros alatos fratres illius deos ventorum, feminam alteram matrem Auroram, alteram caduceo significatam Irim. Contra Robert<sup>2)</sup> Sarpedonem depictum esse censet a Somno et Morte in patriam deportatum; feminam caduceum tenentem et ipse Irim appellat. Mihi quoque ut Meiero<sup>3)</sup> Brunni interpretatio ob argumenta ab illo l. l. prolata aptior esse videtur. Habemus igitur hac quoque in pictura Irida caduceo solo, non alis designatam simili munere fungentem quale obeuntem supra eam vidimus et in Vergili Aen. l. IV s. f. et in illa imagine Etrusca de immolandis ab Achille adolescentibus Trojanis.

Deinde agendum est de picturis in quibus Iris depicta est comes deorum. Cujus generis enumeranda sunt vasa haec:

Bull. d. Inst. 1868, p. 184; Iris magnis alis et caduceo significata equos freno ducit quadrigae, in qua Venus et Adonis collocati conspiciuntur.

Annali d. Inst. 1862, p. 117; Mon. d. Inst. VI—VII, t. 66; descripta est hac in amphora, quae conservatur in Mus. Campana, illa Oresteae fabulae pars, quae est de Oreste et Pylade a Tauris captis. Media in pictura videmus Dianae templum, ex quo egressa Iphigenia ad Pyladem et Orestem se vertit. In sinistra parte Diana depicta est, quacum Mercurius caduceo et petaso significatus studiose agit; in dextra parte Minerva, Orestis amica, et comes ejus Iris caduceo et magnis alis instructa. Notandum est, eam etiam quod attinet ad ejus in pictura collocationem accurate respondere Mercurio.

Catal. vas. Mus. Brit. n. 1265; complures dei, in quibus Juppiter, Neptunus, Juno spectantur, simulacro, quod Pandora esse Newton l. l. vult, coronam offerunt. Comites deorum Mercurium et Irida videmus, illum caduceo, petaso, talaribus significatum, hanc et ipsam caduceo talaribusque, praeterea magnis alis instructam.

Annali d. Inst. 1845, p. 158, Furtwängler, cat.

<sup>1)</sup> cf. *Troische Miscellen* III, Sitzungsber. d. B. Akad. 1880, p. 186.

<sup>2)</sup> cf. *Thanatos* p. 9.

<sup>3)</sup> cf. *Arch. Ztg. Ig.* XLI, p. 5.

Mus. Berol. n. 1895; depicta est in hac hydria, quae descripta est apud Gerhardum, A. V. t. XIV, nota fabula iudicii Paridis. In dextra picturae parte Paridem videmus colloquentem cum Mercurio caduceo significato. Hunc deum femina sequitur et ipsa caduceo denotata, quam etiam corporis motu similem Mercurio pictor reddidit. Post hanc feminam Minerva, Juno, Venus incedunt. Dubium esse non potest, quin haec femina conjuncta cum Mercurio et caduceo significata dearum comes Iris sit, quod unus Trendelenburg qui omnino alatam tantum Irida depictam esse vult, in commentatione saepius l. (Arch. Ztg, 1880) denegavit.

Furtwängler, cat. n. 3240, Gerhard, Apul. V. IX, p. 15; eandem fabulam hac in amphora depictam videmus. Pictura ita tantum quod ad nostram rem attinet differt a superiore ut Iris non comes omnium dearum sicut Mercurius videatur, sed unius Junonis ministra, cum prope illam sedens alabastrum dextra in manu teneat. Dea magnis alis praedita est atque induta magno ornatu qualis in vasis generis Apuli inveniri solet.

Cat. vas. Mus. Brit. n. 1535, Bullet. Arch. Napol. I, 1842, p. 7; videmus hoc in vase eodem munere comitis et ministrae Junonis Irida fungentem. Depinxit artifex Junonem aliasque deas adeuntes Herculis infantis matrem Alcmenam. Iris colloquitur cum Alcmena, instructa est alis et bacillo, quo pro caduceo eam uti colligendum est, atque exornata ut ab artifice Apulo depicta monili, armillis, calceamentis.

Furtwängler, cat. vas. Mus. Berol. n. 4122 d; est fragmentum quoddam amphorae Apulae, in quo depictam videmus Irida caduceo, alis, magno ornatu praeditam. Hoc quoque fragmentum vasis Apuli esse manifestum est.

Quibus de Iridis picturis comitis deorum nulla potest esse dubitatio; praeterea nonnullae nobis respiciendae sunt picturae, de quibus dubitari possit num revera Iris depicta sit.

Ac primum quidem dicendum est de duabus picturis in quibus propositum jam supra bis inventum iudicii Paridis videmus. Quarum altera est in vase de quo egit Stephani, Vasens. d. Kais. Ermit. zu Petersb. n. 1807 et Compte-rendu de la comm. arch. pour l'année 1861, p. 33, pl. 3. 4. Insignis est haec pictura multitudine personarum, cum praeter Paridem, Mercurium tresque deas nominibus designati inveniantur Eros,

Veneris comes, Hebe, comes Junonis, Eris, Themis, Juppiter. Ad hoc conspiciamus duas quadrigas, quarum in altera femina alata rectrix collocata est, in altera femina nullo alio insigni nisi stimulo instructa. Feminam priorem alatam quae Jovis quadrigam regit, recte Stephani mihi videtur appellasse Victoriam; alteram quam Junonis esse aurigam censendum est, vir doctus Irida esse vult. Quam significationem quamquam haec Iris nulla designata est nota, tamen ut in hac posterioris temporis pictura probabilem neque vero certam esse nemo negabit, praesertim cum etiam in hujus generis alia imagine supra alata Iris inveniatur Junonis propria administra.

Neque aliter de altera hujus generis pictura judicandum sit, qua hydria Mus. Berol., Furtwängler, cat. n. 3290; Gerhard, Apul. Vas. XIII, exornata est. Hoc quoque in vase permultae personae depictae sunt, de quibus difficillimum est judicium ferre. Furtwängler Victoriam dicit comitem Minervae, Irida comitem Junonis. Femina quam hoc nomine appellat, infra Paridem sedens depicta est calceamentis, tunica, magno ornatu neque vero alis aut caduceo praedita. In dextra manu magnam tenet pateram. Quae cum ita sint atque praeterea superiore in pictura viderimus Heben Junonis comitem, eodem modo quo supra judicandum esse mihi videtur.

Tertia de qua dicendum est dubia Iridis imago, invenitur in vase Mus. Brit. cat. n. 727. Depinxit artifex Herculem lyra canentem, ante eum feminam alatam, quae digito temporum intervalla signat. Hanc deam nulla alia nota significatam Irida esse catalogi Mus. Brit. editor censuit, quod qua de causa fecerit nescio. Neque enim quidquam est quod Irida deam arctius jungamus cum Hercule sicut hac in pictura lyra canente; totum quo hanc deam alatam hic fungentem videmus munus aptum est Musarum cuidam neque ponere dubito, cum Porphyrius de abstinence III, 16 proprie testetur verbis τὰς δὲ μοῦσας ἐντέτωσαν etiam alas esse fictas ab artificibus Musas atque in pictura quae reddita est in Mon. d. Inst. I, 5, 3 Musa alata persequatur Thamyrin, hac quoque in imagine nos habere depictam Musam alatam.

Postrema nobis tractanda est vasis pictura de qua egerunt Roulez, Annal. d. Inst. 1847, p. 275, Trendelenburg, Arch. Ztg. 1880, I. supra I. Millingen, Peint. d. vas. grecs, pl. 36.

Videmus in hoc vase, cujus pictura Herculis consecrationem nobis ante oculos ponit, Minervam et Herculem quadriga per aerem vectos. Et ante et post quadrigam dea alata depicta est, quarum alteram cum Minervae arma deferat facile cognoscere possumus Victoriam, alteram quae quadrigae antecedens candelabrum manu gerit, Trendelenburg et Roulez et Max. Mayer in Rosch. lex. p. 356 nominaverunt Irida, Millingen et ipsam Victoriam. Facere non possum quin posteriori adsentiar significationi. Nam primum tenendum est, non minus Victoriam quam Irida aptam esse huic loco cum saepius complures Victoriae conjunctae similibus occasionibus inveniantur; deinde autem praedicandum est, Irida nullo alio loco depictam esse candelabrum manibus tenentem, contra Victoriae hoc insigne inveniri, sicut in Athenaeo, l. V, 6 satyros et Victorias comites pompae Dionysiacaе portasse candelabra traditum est.

Haec omnia quae respicienda sunt Iridis depictae exempla esse videntur; veniamus nunc ad alteram nostrae commentationis partem in qua de eis agemus Iridis imaginibus quae a fictoribus factae sunt.

Quas imagines raro inveniri, mirum non est; tenendum enim est nostram deam in eorum numinum numero esse quae ut ita dicam secundas vel tertias in dis agent partes. Itaque Victoriam deam saepius atque pulcherrime in gemmis, in ectypis, tota figura admiramur fictam, Iridis autem paucas tantum atque eas nonnumquam dubias imagines habemus.

Quod attinet ad harum imaginum primam partem, omnino dubium est num revera gemmae nostrae deae effigiem nobis praebeant. Agitur enim de lapidibus quibusdam, in quibus videmus feminam papilionis plerumque alis instructam, quam Toelken, quem Max. Mayer sequitur l. l. p. 357, in catal. gem. Mus. Berol. p. 230 s. n. 1344—47, Irida esse vult. Qua de re sic judicandum esse censeo. Primum respiciendum est, Irida deam nulla in imagine usque adhuc tractata conspectam esse praeditam alis papilionis; itaque quamquam concedendum est potuisse fingi Irim posteriore praecipue tempore versicoloribus instructam papilionis pinnis<sup>1)</sup>, quoad certum nobis inventum

---

<sup>1)</sup> notandum est, Jahnnium quoque Arch. Beiträge p. 196 judicasse, in gemmis supra l. artifices Iridi papilionis attribuisse pinnae multis commotos arcus caelestis coloribus.

est hujus formae Iridis exemplum, aliter si fieri potest hujus generis interpretanda sit imago. Deinde autem considerandum est, in primis Psychen aut papilionem aut papilionis cum alis ab artificibus esse fictam, quam deam apud posteriores varias egisse partes multis ex monumentis elucet. Sic his quoque in gemmis de Psyche dea agi mihi videtur mirifica ratione cum Nemesi confusa. Quae confusio quomodo facta sit duobus ex lapidibus, quos Toelken l. l. descripsit, cognoscere licet. Videmus enim in priore gemma Toelken, p. 222, n. 1266 Nemesim magnis alis instructam, in sinistra frenum tenentem atque ramum fraxineum, dextra vestem ante pectus complicantem, quo signo continentia significatur. In rota ante eam papilio sedet. Quam imaginem in altero lapide n. 1267 habemus jam magis excultam: papilio non est effectus, sed Nemesis, quae dextra manu frenum tenet, papilionis instructa est pinnis. Recte hanc deam Nemesim-Pychen nobis nominare licet. Quacum imagine omnes fere quas Toelken habet Iridis effigies congruunt: effecta est in gemmis n. 1344—46 femina papilionis alis ornata quae manu Nemeseos gestu vestem complicat. Neque aliter atque hae imagines proxima gemma n. 1347, quam Toelken et ipsam Iridis esse censuit, Nemeseos esse videtur, praesertim cum Toelken ipse hanc deam Nemeseos simillimam esse concesserit. Dea magnis alis instructa est atque noto illo gestu tollit vestem.

Simillimae conferendae sunt imagines quas tractat L. Müller, Musée-Thorwaldsen, Sect. III, n. 582, 585, in quibus simili ratione Nemesis et Pax confusae videntur. Itaque verisimile est, tales imagines cohaerere cum cultu illius deae, quam Romani Smyrna exceperunt quaeque Pax-Nemesis-Victoria una culta est. Primum invenitur haec dea in nummis Vari et Claudii, qua de re egit Preller, Röm. Mythol.<sup>3</sup> II, p. 251.

Veniamus nunc ad ectypas Iridis imagines inspicendas de quibus haud raro propter nimias operis mutilationes magna erit dubitatio.

Agamus primum de duobus illis ectypis, quibus monumenta Athenarum arcis exornata sunt: alterum invenitur in zophoro templi quod Victoriae non alatae tribuere solemus, alterum in illis Parthenonis metopis quae ad orientem spectant. Est autem prior imago in ea zophori parte quae ad orientem

vergit <sup>1)</sup>. Effinxit artifex deorum consilium; Juppiter media in imagine effectus est, ceteri dei a sinistra et dextra parte ad illum procedunt. Iris autem ea dea vulgo habetur, quae Junonem in solio collocatam movere studet ut sicut ceteri ad Jovem appropinquet.

Quem interpretationem quamquam haec Iris nullo designata videtur insigni, probabilem neque vero certam esse quivis judicabit, cum et illa dea Junonis administra esse videatur, cui muneri apta est Iris, et rursus totum opus tam mutilum sit, ut certa constituere non possimus.

De altero hujus generis opere in metopis Parthenonis supra allatis, in quibus deorum pugnam cum Gigantibus factam effinxerunt artifices, pluribus verbis egit Robert Arch.-Ztg. 1884, p. 47 ff. Ex omnibus quae illic protulit ad nostram quaestionem ea tantum pertinent quae sunt de metopis V, VII, X, XIV. Inveniuntur enim in illis metopis majorum deorum pugnantium currus, quos dei vel deae inferiores regunt; omnes autem metopae temporum iniquitate tam mutilae sunt et detritae, ut ne id quidem cognoscere nobis liceat num deum aut deam singulis in metopis effingere voluerit artifex. Ipsam autem nostram rem praecipue tangunt metopae V et VII, quarum in altera V Michaelis, cum Neptunum collocet in metopa VI, Neptuni currum effectum esse vult, Petersen, cum in metopa IV Minervam ponat, Minervae currum cum Victoria auriga, Robert, cum Jovem esse in met. VI effectum dicat, illius currum cum Victoria aut Iride auriga expressum esse contendit. Contra de met. VII hae sunt horum virorum sententiae: Michaelis qui Jovem putat in met. VIII esse effectum, ejus currum cum Minerva vidit in hac metopa, Petersen qui in met. VIII et ipse Jovem cognoscit, et ipse Jovis currum cum Iride esse effectum censet, Robert, cum Minervam videat in met. VIII, ejus currum cum Aglauro auriga in met. VII descriptum esse vult. Quibus interpretationibus tam variis commoveor, cum personae ipsae mutiliores sint quam quas accurate distinguere possimus, ut ea quae aliunde nobis suppetant, ad rem dijudicandam afferam. Constat autem in Parthenonis fastigio quod ad solis occasum spectat, Victoriam esse Minervae

<sup>1)</sup> cf. Ross, Schaubert, Hansen, Die Akropolis von Athen. Erste Abhdg. Der Tempel der Nike Apteros, Berlin 1839, c. IV.

aurigam<sup>1)</sup>, qua ex re efficere posse mihi videor, in metopis ejusdem aedificii eodem modo Minervam et Victoriam ab artifice effectas esse conjunctas. Hoc igitur vincit Roberti de metopa VII sententiam. Deinde autem id quoque respiciendum est, deae Minervae bellicosissimae non esse in pugna aurigae munus obire, quod Michaelis de met. VII proposuit. Multo illa melior et Roberti et Peterseni sententia est quorum alter in met. VIII, alter in met. IV Minervam pugnantem esse factam censet. Habemus igitur aut in met. VII (Robert) aut in met. V (Petersen) currum Minervae quem quin Victoria regat mea quidem sententia dubium esse non potest. Quae-ritur nunc quid de altera metopa judicandum sit, in qua aut Jovis (Petersen, Robert) aut Neptuni (Michaelis) currum effectum esse ponendum sit. Quod ut ad effectum producamus, rursus ad alia confugiamus Parthenonis monu-menta. In eodem quo supra jam usi sumus templi fastigio praeter Minervae currum alter invenitur Neptuni, de cujus auriga nulla est dubitatio, cum omnes Amphitriten hoc munere fungentem factam esse recte mihi ponere videantur. Itaque his quoque in metopis Amphitriten aurigam esse Neptuni cen-sendum sit, quod munus eam in met. XIV obire Robert l. l. demonstravit. Habemus igitur in metoparum V et VII altera currum Jovis cujus auriga nulla aptior inveniatur Iride, quam Petersen quoque hoc munere fungentem facit. Denique quae-ramus, cui metopae unum quemque curruum attribuamus. Fieri non potest quin de hac re dissentiam a Petersenio quo-cum congruo quod ad curruum aurigas attinet; Robertum enim sequens qui mea quidem sententia probabili ratione de Jove in met. VI efficto disseruit, ut certum ordinem servem in essedis distribuendis hoc modo disponam metopas V—VIII:

met. V Jovis currus cum Iride auriga;

met. VI Jupiter pugnans;

met. VII Minervae currus cum Victoria;

met. VIII Minerva pugnans.

Haec sunt quae probabilia habeam de illis Iridis imaginibus; quae quam incerta sint ob totam hujus rei naturam, ex re ipsa elucet.

Praeterea inveniuntur Iridis imagines ectypae in nonnullis sarcophagis. Primum exstat ectypon duobus in sarcophagis

<sup>1)</sup> cf. Petersen, *Kunst des Pheidias* p. 168.



quos dicere solemus Phaethontis. Egerunt de illo Wieseler, *Phaethon* p. 45—46, Tf. I, 1, 2; Duetschke, *Antike Bildw.* IV, 442. Efficta est fabula Phaethontis; Iris quae altero in sarcophago comes Jovis, in altero comes Junonis videtur esse, spectat in Phaethontem e curru dejectum. Denotata est sola veste super capite arcuata, qua artificem posterioris temporis eam significare voluisse colligere nobis licet.

Alterum ectypon, in quo Irida videmus ejusdem formae sola veste arcuata denotatam, descripsit Helbig, *Die öffentl. Sammlungen klass. Altert. in Rom*, n. 914<sup>1)</sup>. Effinxit artifex in illo sarcophago ortum Apollinis et Artemidis; in dextra parte Iris appropinquat in Olympo ad Venerem et Cererem ut Ilithiam arcessat Latonae.

Deinde de ectypo sententiam proferam, quo et ipso complures inveniuntur exornati sarcophagi, de quibus pluribus egit verbis Welcker, *Zsch. f. a. K.*, Gott. 1818, Bd. I. Efficta est in his ectypis Ceres quae filiam raptam prosequitur. Tangit nostram quaestionem sola illa dea, quae Cereris currum comitatur. Dea magnis alis instructa est, avide in adversum coniectis oculis, veste in arcum sinuata. De hac dea varias protulerunt viri docti sententias: Piranesi (*Bassiril. Rom.* II. 234) eam Victoriam nominavit, Visconti (*Mus. Piocl.* V, 41) Horam, Zoega (*Bassiril. Rom.* II, 232) Welcker l. l. Foerster (*Annal. d. Inst.* 1873, 79) Dütschke, *Antike Bildw.* I, 77, III, 64 Irida, Wieseler (*D. a. K.* II, 9, n. 108) Auram. Quibus ex sententiis quam Zoega, Welcker, Foerster, Dütschke protulerunt accipiam, sed ita ut Irim, quam illi viri docti expressam voluerunt, jungam cum dea, quae facilius potuit inseri ab artifice fabulae Cereris et Proserpinae. Notum est, Hecatam Cereri nuntium attulisse de Plutone raptore; cum igitur, sicut supra probavi, Hecata quodammodo cohaereat cum Iride, hac in imagine Hecatam-Irim deam expressam esse contendere non dubitabo.

De alio ectypo Villae Albani quod pertinet ad hanc quaestionem, egit Stephani (*Der ausruhende Heracles* p. 255, Tf. I, 1). Contra Zoegam et Platnerum qui feminam alatam ex hirnea alteri feminae infundentem Iridis nomine notabant, hanc deam Victoriam appellavit, quacum appellatione ex toto consensio,

<sup>1)</sup> cf. *Arch. Ztg.* XXVII, p. 21 ss, tab. 16, 1—3; *Hermes* XXII, p. 460.

cum hanc deam pincernae munere fungi solere picturis supra tractatis satis mihi demonstrasse videar. De duobus aliis hujus generis ectypis infra melius erit agere tractato quodam proximi generis exemplo.

Sequitur nunc ut de Iridis simulacris loquar quibus artifices totam deae figuram effingere studuerint. Quorum primum profert Barker, *Cilicia or Lares and Penates* p. 177. Dea ex argilla facta alis instructa est atque manibus super caput tenet sertum quo arcum Iridis fictorem imitari voluisse Barker sumpsit. Sed dubito num recte. Mea enim sententia totus figurae habitus Victoriae accommodatissimus est, quam deam effictam esse hoc opusculo dixerim. Alterum invenitur in collectione Borgiana (Hirt, *Myth. Bilderb.* p. 93); hoc Iridis simulacrum ex aere factum alatum est et in humeris et in poplitibus. De tertio quod Helbig, *Die öffentl. Sammlungen in Rom* n. 837 producit, propter operis mutilationes nihil certi dici potest. Est femina de caelo delapsa, quae utrum Luna an Iris nominanda sit Helbig quoque l. l. dubitat.

Praeterea nobis agendum est de Iridis simulacro quod in Parthenonis fastigio ad solis occasum vergente collocatum fuisse censendum est. Est enim inter Parthenonis mutilata simulacra fragmentum quoddam deae, cujus in scapulis excavatis alas insertas fuisse certissime potest colligi. Quod fragmentum ab omnibus fere fastigio ad orientem spectanti addictum<sup>1)</sup> primus ad alterum fastigium transposuit Matz, *Goett. Gel. Anz.* 1871, p. 1948 ff., cum Carreyanis nisis lineamentis hanc deam alatham post Neptuni currum collocaret. Tamen in eo erravit quod hanc deam habuit Victoriam, quae quin Minervae sit auriga dubium esse non potest<sup>2)</sup>. Eam Irida esse atque simul cum Mercurio a Jove esse demissam ut pronuntiaret ejus voluntatem, primus H. Brunn exposuit, *Berichte der Münch. Akad.* 1874, p. 24, quocum Trendelenburg, *Arch. Ztg.* 1880, l. supra l. in universo consentit. Manifestum est, Iride alata hoc in fastigio collocata deam non alatham quae in altero fastigio Iridis nuntiae partes agere solet, alio nomine notandam esse; itaque qui sententiae prolatae accesserunt, Welckerum secuti Oreithyiam illam nominaverunt.

Qua cum imagine certaminis inter Minervam et Neptunum

<sup>1)</sup> cf. Michaelis, *Parthenon*, T. VI, J.      <sup>2)</sup> cf. Petersen, *Kunst des Pheidias* p. 168.

facti cohaerent, ut jam supra indicavi, duo ectypa de quibus nunc extremo commentationis loco paucis disseram. Egit de illis Robert, Mitt. d. arch. Inst. z. Athen VII, p. 50. In priore ectypo quod Smyrnae conservatur virgo alata efficta est, quae post mensam collocata, a cujus partibus Minervam et Neptunum posuit artifex, ex urna suffragia tollit. Agitur de victoriae judicio, quod non potest dubitari quin ipsius Victoriae sit munus. In altero ectypo mutilato quod Romae in Villa Carpegna conservatur eadem fere imago efficta est, quae eo tantum differt, quod pro Victoria virgo papilionis alis praedita iudicis munus obit. Quam ob rem ii qui sicut Toelken et Jahn Irida hac forma effictam esse volunt, hanc virginem Irim esse contenderunt. Iam supra exposui, me usque adhuc non videre cur ab eorum stare partibus neque hoc commoveor ectypo ut sententiam commutem. Nam si totum ectypon accurate perspexerimus (tripertitum enim est sarcophagorum modo), nobis facile erit, virginem papilionis pinnis instructam recte interpretari. Media enim in parte Amorem videmus feminae sedenti, quam Venerem esse colligere nobis licet, similem urnam ferentem; itaque vix errabimus, si virginem hoc cum Amore conjunctam Psychen nominamus atque totam imaginem ita enucleamus ut ponamus, artificem principale illud propositum quod notum fuit atque nobis priore in ectypo conservatum est, suum ipsius ingenium secutum in hunc modum mutasse.

Haec habui quae dissererem de dea Iride a veterum artificibus illustrata. Quae si perspexerimus, inveniemus eodem modo atque a scriptoribus etiam ab artificibus Irida esse tractatam. Homerus ejusque sectatores deam nostram certam effecerunt personam, nuntiam et comitem deorum — atque eadem forma atque natura nobis occurrit in Graecorum artificum monumentis. Virgo alata, raro non alata, saepissime caduceo instructa, tunica, mitra, armillis exornata deorum jussa exsequitur, maxime Jovis et Junonis, cujus propria administra posteriore tempore eodem modo quo apud poetas (cf. l. Callimachi supra l.) facta esse videtur. Praeterea duabus in imaginibus florem manu tenet. Aliam praebet nostra dea speciem apud Romanos: sicut scriptores Romani deae Iridis cum arcu caelesti conjunctae naturam protulerunt, ita artifices quoque Romani hanc Iridis naturam exprimere studue-

runt. Iris non solum est administra deorum in monumentis Romanis, sed etiam dea pluvia vel aëria. In primis praedicandum est, nullo in huiusmodi monumento eam esse caduceo instructam. Nonnumquam denotatur veste arcuata qua arcum caelestem reddere volunt artifices; manifesto autem talis significatur dea in illo thorace Augusti, de quo supra egi, ubi Iris hirnea instructa cum Aurora antecedit Solem:

---

89094606647




889094606647A

## Vita.

Natus sum Carolus Friederichs anno 1864 a. d. III Idus Martias Hannoverae. Fidei addictus sum evangelicae. Vere anni 1883 testimonio maturitatis instructus Gottingam me contuli ut philologicis studiis operam darem. Docuerunt me viri doctissimi Baumann, Bruns, Dilthey, Fick, Goedeke, Heyne, G. E. Müller, Sauppe, Volquardsen, Wieseler, v. Wilamowitz-Möllendorf. Per sex menses fui sodalis seminarii philologici, per bis sex menses seminarii, in quo praecepta dantur de arte educandi, per duo annos seminarii archaeologici. Omnibus illis viris qui me docuerunt summas gratias ago, inprimis Wieselero, quem semper inveni benignissimum fautorem.

---



89094606647



b89094606647a